Num. VI.

XTRAORDINARIA
RELATIONIS
ISTORICO-HEBDOMADARIAE
Continuanda Continuatio, 9. *Februarij*, 1638.

Romæ, 16. Ianuarij.

QVandoquidem Pontifex noſter inſani tabieque manantis pedis ægro rurſum conflictatur morbo, ita conſanguinei ex ea Barberinorum proſapia agnati Nepotes inſtantiſsimè apud eum perierunt, vt in defunctorum Cardinalium vacantia loca quantocyus alij ſubrogarentur. Lis inter Sanctitatem Suam & Magnum Hetruriæ Principem nuperrimè orta, necdum vtrimque compoſita, ac ſedata [...]ſcit, metuendumque eſt, eam vlterioribus motibus fore occaſionem ſuppeditaturam, atque idcircò multi opulenti ciues, & mercatores Florentini conuaſatis rebus, in patriam commigrarunt. Parmæ & Placentiæ Dux, quem antehac abeuntē hunc Eminentiſsimum S.R.E. Cardinalem ad aliquot milliaria in itinere comitatū fuiſſe memini, hac ſeptimana ignotus iterum ad hanc vrbem acceſsit.

Venetijs, 22. Ianuarij.

Per Statum Mediolanenſem quotidiani ad bellum apparatus ab Hiſpanis gnauiter continuantur, nec ſegnius de Sabaudia belligerantes Galli ad arma ſe parant, & [...]rum legionum imperium retinere omni conatu adlaborant.

Mediolano, 22 Ianuarij.

Venetorum Reſpub. hoc tempore aliquot militum turmas exauctorauit, quas excellentiſsimus Marchio de Leganes ad Catholicæ Maieſtatis ſtipendia in ſuum recepit ſeruitium. Prorex Neapolitanus Dux de Medina, &c. ad Præſidem noſtrum Curſorem miſit, qui eius regni nomine, ducenta Coronatorum millia per cambiū Mediolanum huc detulit, ex quo belli neruo numeroſiores copiæ forent conſcribendæ. Gallorum aliqui in Nizza della Paglia vrbe præſidiarij, eo ex oppido exiuerunt, & mentita fide Punica, ad Hiſpanorum partes, & præſidia in Aleſandriam ſeſe receperunt, oportunitatem captare cupientes, vt vrbis armamentario ignem inijcerent, quo accenſo, huius ſcelerati & proditorij ſtratagematis conſcius Mareſcallus Cricquius, cum reliquo, qui haud procul ab vrbe conſtiturus, & facinoris euentum præſtolaturus erat, milite, dictam ciuitatem inuadere, & occupare poſsit. Sed animo conceptis his violentis & deteſtandis Gallorum machinationibus felix defuit euentus, coniurationeque detecta, auctores comprehenſi, & ex peruerſiſsimorum transfugarum nebulonum numero quatuordecim in furcam acti ſunt.

E Florentia perſcribitur, Pontificis iuſſu, centenos aliquot milites Roma ad Ca-

ſtrum

Biblioteca Nacional de España

ſtrum *del Rio*, (eſt autem id in Hetruſcorum confinibus ſitum) miſſos, v[illegible] cuparent, & poſſeſsionem eius ad Romanæ Eccleſiæ patrimonium deuol[illegible] prætenderent. Id vbi Magno Hetruriæ Duci innotuit, illico quadringent[illegible] cum Domino Præfecto Alidoſi, cò dimiſit, qui prædictam arcem in Hetru[illegible] cipis præſidium, poteſtatem recepit, & Pontificis copias propius ad Caſtr[illegible] dere prohibuit, quæ re infecta, & ſeptuaginta circiter occiſis, receptui ca[illegible] mamque, vnde venerant, abire coactæ ſunt. Metus eſt, leuia hæc ſimultatu[illegible] n perniciosiſsimum bellum fore eruptura, quod Deus auertere, & turbu[illegible] ropæ pacem elargiri dignetur.

Berlino. 20. Ianuarij.

Tribunus Sparr etiamnum in hac vrbe præſens degit, & Regis Poloniæ [illegible] ad belligerandum contra Turcam; militem conducit. Copiæ Gallaſsianæ [illegible] Megapolitaniæ, partim in Holſatiæ finibus hybernant. Imperialis miles [illegible] Brandenburgicus necdum certis fruitur Quartierijs, ſed accreſcente ve[illegible] hoc frigore, maiora contra Suecum moliri conatur. Bannierius ante vrbe[illegible] nenſem etiam proximis diebus copias ſuas, & elidendis Cæſaro-Saxonico[illegible] ſilijs totus aduigilat. Interim Pomerania ad ſummam rerum egeſtatem [illegible] dacta eſt, adeo, vt ad duodecim milliaria omnia deſolata inibi ſqualleſcant, [illegible] ficilè hominem aut viatorem illic ſit reperire. Pacis conſilia expetuntur, ſed [illegible] eius tractationes in vanas auras diſſolui, atque optato carere ſcopo, dolend[illegible]

Aliud Berlino ſcriptum, 22. Ianuarij.

Miles SaxoBrandenburgicus præclaram rei aduerſus Suecos benè gerend[illegible] ſionem laborioſus opperitur, cui præterita Kunæ, Generalis Vigiliarum Præ[illegible] Bredavv quatuordecim legiones adiunxit, præmeditatâ expeditionem effec[illegible] mandaturus. Interim communi hic fama aſſeritur, Gallo militâtem Equitem [illegible] zouium à Nobili quodam Holſato, poſt commiſſam acrem vtriuſque monom[illegible] è medio ſublatum eſſe.

Hamburgo, 26. Ianuarij.

Ex vrbe Roſtock perſcribitur, Architribunum Gallaſsium cum ſuo exerc[illegible] inſulam VVollin acceſsiſſe, indeque Bannierij militem Stettinum vſque pro[illegible] ſe, & ad occupatum ipſum oppidum VVollin Megapolitaniæ Ducis Legato[illegible] uocaſſe, ibidemque cum prætoriana ſua Caſtra modò locaſſe. Rumor etiam [illegible] beſcit, Cæſaro-Saxonicam militiæ gentem congelatas frigore aquas pertra[illegible] & non ſolum inſulam Reugen dbi feliciter ſubiugaſſe, ſed etiam Vrangelia[illegible] eadem excubantes cohortes vſque ad Stralſundanæ ciuitatis mœnia in fugam [illegible] ieciſſe.

Vienna, 27. Ianuarij.

Ante dies non multos Imperij ViceCancellarius Kurtzius, ex legationis it[illegible] redux Viennam adpulit, indeque pernicibus equis Poſonium ad Cæſarem ad[illegible] uit. E contra Princeps Iulius Henricus SaxoLavvenburgicus Poſonio huc red[illegible] conſcenſo ſtatim equo, Pragam Bohemiæ metropolim accelerauit.

Ortæ in Comitijs Hungaricis ſimultates magna ex parte conſopitæ ſunt, qua[illegible] quidem Pannoniæ Rex vrgentibus Proteſtantibus eo in regno viginti ſeptem E[illegible]

Biblioteca Nacional de España

in liberum religionis ſuæ exercitium indulſit, ex quo Coronationem propei...em euentum ſuum habituram arbitramur.

Aliud ſcriptum Viennæ,26. Ianuarij.

Noualia hic nulla, niſi quod Coronatio Reginæ aut Imperatricis poſt octiduum Poſonij, omnibus iniectis remoris & impedimentis, in puncto Exercitij religionis ceſſantibus, deſideratum euentum ſit habitura. Illuſtris Princeps ab Eggenberg ingenti trecentenorum aulicorum ſatellitio ſtipatus, prima ſeptimana inſtantis Quadrageſimæ Romam abibit. Ornatus, & Coronationis præparamenta innumero vnionum & gemmarum ſplendore fulgentia abhinc Poſonium tranſmiſſa ſunt.

Dantiſco, 19. Ianuarij.

Vrbi noſtræ maiora pericula indies imminere videntur, quandoquidem Poloniæ Rex parum de iure ſuo, quod prætendit, remittere cogitat, atque vt ad perſoluendum ipſi vectigal, quaſcumque naues in mari Baltico aſtringere poſſit, binarum legionum præſidium Regio Boruſſiæ Monti imponere decreuit. Dubio rumore hic quoque ſparſum fuit, validiſſimum decem armatorum millium exercitum Cæſareum, ex Germania & Megapolitania ad vrbem noſtram, hyemandi cauſa, fore acceſſurum, cuius rei fidem penes auctorem eſſe dubitamus. Proximis diebus, adhuc aliquæ Lubeccenſium, & nonnullæ Batauorum naues vrbia noſtræ portum ingreſſæ ſunt, quæ quantocyus abhinc ſecundis ventis velificaturæ erunt.

Gluckſtadio, 27. Ianuarij.

Holſatiæ bellicoſa ac armis exercitata gens in finibus ſuis per ſtationes diſpoſita peregrini militis in eam regionem vlteriorem acceſſum omni conatu impedire adlaborat. In hac noſtra Felicitatis vrbe etiam militum excubię duplicatæ ſunt, Præfectusque ſub ortum & occaſum ſolis, frigore concretas vrbis foſſas aquaticas ſolicitus aperiri iuſsit. Excelientiſſimus Daniæ Regis apud Cæſarem Orator ante ante aliquot dies. perilluſtri ac Generoſo Comiti Prentzio, quatuor lactei coloris & inſignis præſtantiæ equos, quos Cæſar vnà cum ornatiſſimo curru ipſi dono dederat, Vienna huc tranſmiſit. Circa hoc tempus ex itinere quoque huc venit Fridericus Guntierius, qui negotiorum cauſa abhinc vlterius ad Regem ſuum profecturus erit.

Baſilea, 29. Ianuarij,

Viginti octo vino onuſti currus cum numeroſo fiduciariorum militum comitatu ex VVimmarienſium Caſtris Argentoratum verſus commeare voluerunt, at vbi Cæſareum militem omnes vias & aditus inſidere intellexerunt, re iniecta, ad ſua caſtra regreſsi ſunt. Commemoratus Cæſaris miles Argentoratenſibus omnes aditus vndequaque tamdiu intercluſos eſſe molitur, donec vtramuis aut Cæſaris, aut

Gallorum

Biblioteca Nacional de España

Gallorum partem ſequuturos ſeſe declararint, & cathegoricam hoc in pu
ſolutionem exhibuerint. Gallicanæ militiæ Tribunus Hallierius Luteria
rum proximo tempore ad Regem ſuum abiturus erit. Dux de Sauelli in B
fines ad Caroli Lotharingiæ Ducis militem ſeſe recepturus erit, que m
iam centena aureorum millia ei per cambium aſsignata ſunt. Præfectus B
Briſaco in agrum VVurtenbergicum profectus eſt, illic munitiſsimum
Hohenvviel à Duce in manus Cæſaris recepturus. Vice verſa Cæſar fo
arcem Hohenſtauff commemorato Duci creditur eſſe redditurus.

Ex Epiſcopatu Herbipolenſi, tertia Februarij.

Florentiſsimæ quondam hæ prouinciæ dudum alta pace & otio gauiſ
nulla proſperitas ſemper diuturna. Poſtquam enim Dux Bernharous milit
per Epiſcopatum Baſilienſem in hybernis collocauerat, Generoſi Baronis l
de VVerth cohortes Cæſarianæ viciſsim hybernalia ſua Quartieria qu
dictarumque copiarum maxima pars, & inter cæteras, haud exigua Croata
nus ſolum noſtrum ingreſſa eſt, In Norinbergenſis ciuitatis Territorio Cro
Tribuni Beygots Regimina ſiue legiones hybernant, ex qua militia etiam
gio per Epiſcopatum Bambergenſem in hybernis collocata eſt. Colonellus
cum ſuis legionibus in Comitatu Hennenbergenſi ſubſiſtit, qui & eius me
ticam Ciuitatem reſiſtentibus oppidanis, violenter inuaſit, & per effractio
militem magno numero vrbi immiſit.

Hamburgo, 2. Februarij.

Parum hic modò noui, niſi quod merces noſtrorum mercatorum à Sere
Saxoniæ Electore proximis in nundinis Lipſienſibus certas ob cauſas & pr
nes fuerunt detentæ, & complures mercatores in itinere à prædonibus ſpol
liqui etiam occiſi ſunt.

Francofurto, ſeptima Februarij.

Commendans Hanouienſis ambos Comites in arce adhuc captiuos detin
tam facili negotio in eorum liberationem conſentire videtur.

Ex Pomerania nunciatur, Cæſareæ Maieſtatis excellentiſſimum Archi Trib
Comitem de Gallas vnà cum Saxonicis & Brandenburgicis cohortibus fœli
mos Cæſarianæ militiæ aduerſus Suecos continuare progreſſus, atque victric
rum ſigna & arma iam ad ipſos vſque maris Baltici fines propagaſſe. Fama p
ea, increbeſcit, prædictum Comitem Hallaſsium circa proximum tempus
nentis veris cum ſua militia in Belgium ſeſe Iore recepturum, quandoquidem
xonis & Brandenburgi validiſsimi exercitus reſiſtendis illic militantium Su
conatibus exiſtimentur ſufficientes fore.

Ex Belgio, 9. Februarij.

Seduli & ingentes ad bellum apparatus in his Vnitis Catholicæ Maieſt
prouincijs gnauiter continuantur, magnusque curruum bellicorum num
conquiritur, & complures artificioſiſſimæ machinæ, reliquaque militaris
ſuppellectilia adornantur.

F I N I S.

Biblioteca Nacional de España

Num. VI.

ORDINARIA RELATIONIS HISTORICO-HEBDOMADARIAE

Continuanda Continuatio, 9. *Februaryj*, 1638.

Lutetia Pariſiorum, 12. Ianuarij.

AD hanc vrbnm complures magnæ auctoritatis principesque viri, Duces, & Barones frequenter modo conueniunt, varia negotia apud Regem curare ſatagentes. Candalæ Dux & Comes à Touraine, vnà cum Germanicarum legiònum Præfecto & Barone à Degenfeldt, ante aliquot dies quoque ad hanc vrbem acceſſerunt. Claſſis Gallicana ſub Archithalaſſo Domino de Manty circa hoc tempus è Toulonis portu ſoluerat, fœlicem rei bene gerendę occaſionem aduerſus Tunetanorum & Algerianorum in mari pyraticam exercentium naues opperiri ſtatuens, quæ tamen ſæuientibus atrociſsimè tempeſtatibus, miſera afflicta ac lacerata fuit, multæque naues vnà cum vectoribus, maris voraginibus hauſtæ ac ſubmerſæ ſunt.

Patrem Ioſephum Capucinum Epiſcopali dignitate ornandum, & ſub imminentis Paſchatis feſtum in Cardinalium album adnumerãdum eſſe aiunt. Ducis Bernhardi copiæ VVimmarienſes per epiſcopatum Baſilienſem in hybernis ſubſiſtunt. Colonelli Degenfeldts legiones in oppido Roye excubant, Præfectus verò Schmidtberger cum ſuis cohortibus in municipio à la Tere, & Ranrzouius in Guyſe commorantur.

Hamburgo, 16. Ianuarij.

Nouorum hic nihil eſt, niſi quod Cæſareus miles è Pomerania abiuerit, & conſumptis illic vbique cibarijs, ad Lubeccenſis ciuitatis fines ſeſe receperit, ibidem hybernaturus. In Comitatum Schavvenburgicum etiam hyemandi cauſa, Cæſari & Imperio ſtipendiaria cohortes ingreſſæ ſunt. Holſatiæ Princeps cum videret Cæſarianos eo quoque in Comitatu hybernare velle, ſubditos & populares ſuos ad arma in manus ſumenda commoneſecit, vt pro regionis ſalute excubarent, darentque operam, ne quidquam paterentur detrimenti. Prædictus Holſatiæ Dux etiam nunc militem Cæſareum, quem antehac in ſuos fines recipere noluit, admiſit, & in eorum annuit alimentationem, ex quo miles, qui hucuſque multo cum labore varia itinera confecit, iam

multis

Biblioteca Nacional de España

multis quibus anteà premebatur cibariorum & annonæ anguſtijs facil
deri poteſt. Lubeccenſes Cęſarianis omni armorum & alimoniæ auxilio
ueniunt, eisque pleraque viatica pro pecunia vænalia in militis ſuſten
nem ſubminiſtrant.

Dantiſcanæ ciuitatis tabellarius heri ex Pomerania huc venit, referen
eadem prouincia per aera volitare viſam ingentis magnitudinis aquilam,
omine, incertum. Hodie rumor increbeſcit, militem Cæſaro Saxonicu
dies magno numero ad hæc loca adproperantem munitiſsimum Ca
Poel ſibi ſubiugaſſe, & VViſmarienſes etiam iam arcta obſidione circum
tos acrius à Cæſarianis infeſtandos fore.

Praga, 23. Ianuarij.

VViſmarienſium literis perſcribitur, Cęſarianos cum bis millenorum
tum numero ad iuſulam Poel acceſsiſſe, eandemque vnà cum adiuncto
talitio, victricibus armis occupaſſe, indeque Colonellum Oeſterling
quadringentis ſuis præſidiarijs militibus ſine vexillis, ſolo cum ſtipite d
ſum. Generalis Petri Gotzij legiones in Sileſiæ & Luſatiæ prouincijs hy
na quæſiuerunt.

Vienna, 23. Ianuarij.

Poſonio nunciatur, Hungariæ Status etiamnum Comitijs illis immora
Cæſare eorum finem vrgente, varia Religionem, patriæ & finium ſalu
concernentia capita iam pridem diſcuſſa, ac aperta eſſe.

Noſtratium inferioris Auſtriæ Ordinum Conuentus circa decimum o
num huius menſis, ſuum ſortitus eſt initium, cui præſunt excellentiſsim
illuſtriſsimi Domini Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarij Segefridus Chriſtop
rus Preuner, & Ioannes Comes à Khollouitſch, Carolus Pergerus, I. V
qui ad prædictum Conuentum abſoluta cum Commiſsione à Cæſare a
gati fuerunt. Ad inchoatam hancce Comitiorum Congregationem
quenti numero Auſtriæ prouinciæ magnates, Barones, Statusque Sæcu
& Ecclebaſtici conuenerunt, peroratæque per Dominum Pergerum Cæ
Maieſtatis propoſitione, communicatis vtrimque conſilijs de ea delibera
eſt, iamque commemorati Sratus in Caſtro Cæſareo congregati, ſecun
Conuentus ſui habuerunt ſeſsionem. Morauiæ comitia, quæ ad eius re
nis metropolim Olmucium indicta ſunt, circa hoc tempus etiam ab eius p
uinciæ Ordinibus inſtituta ſunt; Poſonienſium verò Comitiorum finem
huc ante imminentem Quadrageſiman, præſtolamur, putantque nonn
ſubortas eo in Conuentu diuerſæ religionis Procerum Vngarorum q
monias amicabili compoſitione vtrimque diſceptatas, & reſtinctas eſſe.

Biblioteca Nacional de España

Boruſsiæ, Auſtriæ, & Poloniæ confinibus, magna militum manus conſcribi um pro Cæſare, tum pro Catholico Hiſpaniarum Rege, tum etiam pro diuer- Imperij Principibus, & Statibus.

acificationis Conuentum Coloniam indictum adhuc cum fructu, & ſpe pacis, ptatum finem tranſigendum eſſe, pleriqui exiſtimant.

Proximis diebus Excellentiſsimus Comes Truchſeſius ab hac vrbe diſceſsit, an- uam vero abiret, ære alieno, quo creditoribus obſtrictus erat, ſe exſoluit, eiſque um in debitis præſtitit ſatisfactionem. Poſt quæ prædictus Comes cito itinere hinc ad Cæſarem in Pannoniam, & Poſonium verſus ſe tranſtulit, illic militiæ Hiſpanicæ nomen daturus.

In Electoratu Brandenburgico magnus conſcriptorum militum numerus adue- t, militiæ Cæſarianæ coniungendus.

Dordraco, 16. Ianuarij.

Amſtelrodamo perſcribitur, in Hollandia & TransIſulanis prouincijs ex conge- torum fluminum eluuione, deplorandam eius regionis ſubditis, & vicinis acco- ullatam eſſe calamitatem, multosque aquarum canales & ſtagnorum ſtipites re- undantibus crebro gelu aquis euerſos, magnamque hominum & pecudum ſtra- m editam eſſe. Nã, atrox hoc inundationis malum tantoperè in Diœceſi Traie- tenſi deſæuijt, vt idem prouinciæ fluuius altero ſui brachio dictam ciuitatem fue- it complexus, aquaque mira altitudine excreſcens, inde inferiores TerGovv & Woerden regiones omnino inundauit, & repentino quaſi fulminis ac teli impetu obuia quæque proſtrauit, confregit, deperdidit. Exciſi fundamentis aggeres, fundi- tus euerſæ domus, & opulentiſsimæ colonorum coloniæ vnà cum hominibus, iu- mentis, ſuppellectilibus, abſumptæ & extinctæ. Nec Hollandiam ſolam ea calami- tas afflixit, ſed & vicinas regiones peruagata eſt, ac irreparabile, quod etiã aliquot auri milliones excedere dicunt, damnum ſubortum.

Brema, 1. Februarij.

Innotuit ſine dubio Generoſitati Veſtræ, quid fœdifragus miles Suecus in ſuis prætorianis Caſtris ante dies non multos molitus ſit; quomodo, & quo proditorio ſtratagemate ciuitates, oppida, & arces, quas occupat, ſpoliare, perdere, & dein- de Cæſarianis tradere coniuratione concluſerit, adeò vt de hoc multis ſcribere pu- tem non eſſe neceſſarium, cum mari & terra pateat. Quanta porrò ex hoc ſcelera- to eorum propoſito deuolutio nata ſit, facilè aſt argumentari; Opulentiores mer- catores & ciues conuaſatis idcircò rebus omnibus, partim Hollandiam, partim Daniam, & Sueciam petere conſtituerunt, quidam etiam Mindenſes & Oſnabru- genſes apud nos ſedes ſuas locare petierunt, quidam etiam in Suecia, in qua lega- tionis cauſa fuerunt, prædia & domos emerunt, quas accedere, & inhabitare po- tius decreuerunt, quam Papiſtarum Dominio ſubeſſe.

Conqueſti ſunt præterea multi viatores inde huc negotiorum cauſa venientes, talia noctu in ſuis ciuitatibus, totaque patria videri ſpectra, vt nullus quantumuis cordatus miles audeat vel ſolus excubare, vel ſolus incedere. Audiuntur Papiſta-

rum

Biblioteca Nacional de España

um preces, & ſupplicationes, perſonat eorum clamor Ora pro nobis: vid
natiſsimæ proceſsiones, fulgent in ipſis tenebris admirabili ſplendore co
pla, & (vt nonnulli dicunt) campanarum clangor & ſtrepitus vbique
quæ inuſitata prodigia quid portendant, nouit Deus. Miniſtri noſtri ſub
hortantur populum ad emendatiorem vitam. Sed quis ab ira Dei, & iuſta
dignatione poterit declinare?

In Comitatu Altenburgico Landtgrauij Haſsiæ miles tanta immanitate
delitate miſeros illos homines excoriauit, vt præ fame, & calamitate, v
inhæreant, nec aliud à Deo petant quam mortem. Melander cum noſtris O
duodennem puerum Haſſum, & iuniorem Palatinum hæreditarijs prou
ſtituere omni ſtudio conantur, pro cuius conatus facilitate ſtatuerunt e
re ſeptuaginta militum turmas ſub Colonellis Ehrenreuter, Lohe, VVinga
rens, &c. quas turmas iunior Palatinus in ſuum ſeruitium ad Anglica ſtipe
cepturus, militiæ Melandri coniunget.

Antvverpijs, 5. Februarij.

Dunkerca cum per literas, tum per diuerſos inde negotiorum cauſa huc
tes viatores nunciatur, Dunkercanas naues in mari copioſam ex Hollandicis
licanis nauibus prædam obtinuiſſe, & inter cætera, binas bellicoſas naues,
rio, milite, & armis exercitatiſsimas ſuperaſſe, quibus vtriſque octodecim
tendecim machinæ minores bellicæ fuerunt impoſitæ.

Præter hoc, inſtructiſsimam Catholicæ Maieſtatis claſſem ibidem in ancho
ſiſtere, ad anauigandum in Hiſpanias expeditiſsimam. Sub exitum præter
ſis, particularem quoque Fregattam Hiſpanicam in mari fortiſsimam Ho
rum nauem ſuperaſſe, ex eaque inſigni præda, & opulento exoticarum me
ac præ reliquis, inſigni, quem ſecum aduexerat, ſaccari quæſtu poſitam eſſe.

Bruxellis, 3. Februarij.

Lyranæ ciuitatis in Brabantia fortificationes iam omni ſtudio inſtaurari
unt, foſſoresque laboribus ſuis magna ſedulitate intenti ſunt. In hac pro
magnus equitum peditumque numerus conſcribitur, cunctaque ad bellum
ſaria circa proximum veris tempus ad manus ſumuntur. Sereniſsimus Pri
Cardinalis multam monetam cudi iuſsit, militi ſuo in ſtipendij ſolutione
ſoluendam. Ex Francia perſcribitur, Galliarum Regis animum ad compon
pacem inclinare, effecturumque, vt Legati ſui Coloniam mittantur, cuius Pac
tionis euentus tempore pateſcet.

Literis VVerdenæ ſcriptis aſſeritur, Cæſarianæ militiæ aliquot turmas nu
octo millium armatorum; per loca Leuvv, Caſſel, & Herck citis itineribus pr
ſei, eo animo, vt Leodienſium fines accedant, & inuiſant. Idem literis ex Di
Leodienſi perſcriptis confirmatur, in prædicta metropole magnam apud ciu
formidinem, quandoquidem timent, ciuitatem ipſorum accedentibus ad eoru
nes numeroſis Cæſarianorum militum cateruis denuo infeſtandam, & oppug
dam iri, multi etiam aliò ſedes ſuas transferre decreuerunt.

FINIS.

Biblioteca Nacional de España